



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 97. Geofredi Boussardi extrema

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

tas proditur, qui Bernardum Bibliennam Gallis minus addictum fuisse scripsit. Testamento iussit corpus suum ad Lauretanam Domum, cujus erat Protector, deduci, atque in Sacello B. Virginis sepeliri: post obitum tamen sepultus est in æde S. Mariæ de Aracæli, ubi ejus epitaphium legitur, quod illius Nepotes insculpi curarunt. Posteris reliquit Cardinalis hic quædam opuscula versibus conscripta.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1520.

§. XCVII.

*Gaufredi Boussardi obitus.*

**H**orum Cardinalium fati merito accensendi sunt tres alii Scriptores Ecclesiastici eodem hoc anno vita functi. Horum primus est Geofridus seu Gaufredus Boussardus patria Cenomanensis Theologæ Doctor, ac Parisiensis Scholæ Cancellarius. Is anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto ad Navarræ Collegium, ut literis institueretur, decimum septimum ætatis agens mittebatur, atque ibidem anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo nono Doctoratus Laurea insignitus, utilem prorsus operam navabat edendis veteribus Scriptoribus, uti sunt Historia Ecclesiastica Rufini, & expositio in D. Paulum, quæ Ven. Bedæ adscribitur. Dein

*Miræus de  
Script. Sæ-  
cul. XVI.  
Duboullai  
hist. Univer-  
Paris. t. 6.  
Launoi hist.  
Navar.  
Du Pin Bibl.  
Scrip. XVI.  
Sæcul. p. 94.  
La Croix du  
Maine Bibl.  
Franc.*

**Sæcul. XVI.** ipſus anno ſalutis milleſimo quingentefi-  
**A. C. 1520.** mo quinto tractatum compoſuit de conti-  
 nentia Sacerdotum, ac quinto poſt  
 anno Romam, inde vero Bononiam, ubi  
 tum Papa agebat, venit, atque eo præ-  
 ſente de Jeſu nomine orationem habuit.  
 Poſtea Piſano Concilio interfuit, ac ejus-  
 dem Synodi juffu Cajetani tractatum de  
 auctoritate Papæ & Concilii ad Pariſien-  
 ſem Scholam ibidem diſcutiendum detu-  
 lit. Demum anno ſupra milleſimum quin-  
 gentefimo decimo ſeptimo Cancellarius  
 Pariſienſis Eccleſiæ nominatus, ſequenti  
 anno hanc dignitatem in Nicolaum Dog-  
 nyum tranſtulit, atque obtento hoc be-  
 neficio Cenomanum ſeceſſit, ubi etiam hoc  
 anno animam Deo reddidit, in æde Be-  
 nedictinorum ad S. Vincentium ſepultus.  
 Teſte La croix Cenomanenſi Bouffardus  
 inter ævi ſui doctiſſimos non inſimum ſibi  
 locum vendicabat, ut ejusdem libri, quos  
 ad poſteros tranſmiſit, ſat luculenter  
 comprobant.

ſcripſit tractatum de Sacrificio Miſ-  
 ſæ anno Domini milleſimo quingentefi-  
 mo undecimo, necnon nono poſt an-  
 no typis impreſſum. Lucem quoque pub-  
 licam aſpexit anno milleſimo quingente-  
 ſimo decimo nono ab eo facta explicatio  
 ſeptem Pſalmorum poenitentialium, nec-  
 non Pariſiis quoque editus eſt anno mil-  
 leſi-

lesimo quingentesimo quinto liber de continentia Sacerdotum, tandem biennio post publicata est oratio, quam coram Julio II. Papa Bononiæ habuit. Cuncta hæc opuscula latino sermone conscripsit, & unicum edidit libellum gallice scriptum, nimirum *de regimine ac instructione pro cujuscunque status fœminis, quæ secundum Deum in hoc sæculo vivere desiderant.* Palmam autem ceteris ejusdem Auctoris operibus præripit tractatus de continentia Sacerdotum. Ubi hanc agit quæstionem, *utrum Papa possit cum Sacerdote dispensare, ut nubat,* hancque septem propositionibus dissolvit. In prima docet, Clericis, qui nonnisi in minoribus constituti erant, tam in Orientali quam Occidentali Ecclesia conjugii statum semper fuisse permissum. In secunda contendit, a primo Ecclesiæ exordio usque ad Siricium, & Innocentium I. etiam conjugatis sacros Ordines conferre, excepto Presbyteratu, fuisse concessum, illisque matrimonii usum cum uxoribus suis permissum, nec propterea ab Ordinis sui functionibus exclusos. In tertia existimat, a tempore utriusque hujus Pontificis haud ultra licitum fuisse, conjugatos Diaconatu ac Sacerdotio initiari, ita, ut adhuc cum suis uxoribus vivere possent, sed eas dimittere, ac continentiam promittere fuisse compulsos. Addit tamen idem Scri-

Sæcul. XVI. ptor, usque ad Gregorii Papæ tempora  
 A.C. 1520 conjugatis liberum fuisse, an continen-  
 tiam vovere vellent, vel nollent. Quar-  
 ta propositio affirmat, quod a tempore S.  
 Gregorii illis solum, qui castitatem vovif-  
 sent, Diaconatum conferre, in Occiden-  
 te permissum fuisset. Quinta sic habet:  
 semper fuit concessum; atque hodieum  
 Græcis & orientalibus conceditur, ut il-  
 li, qui uxores habent, ad sacros Ordi-  
 nes imo ad ipsum etiam Presbyteratum  
 promoveri, ac cum uxoribus suis vivere  
 valeant. Sexta propositione asserit, quod  
 non liceat, nec unquam licitum fuerit  
 matrimonium inire illis, qui jam antea  
 sacros Ordines Presbyteratum, Diaco-  
 natum, aut Subdiaconatum suscepissent.  
 Denique in septima tenet, Papæ in qui-  
 busdam casibus suffragari potestatem cum  
 viro sacris Ordinibus initiato dispensandi,  
 ut Matrimonium contrahat.

## §. XCVIII.

*Claudii Seyffelii Taurinensis Archie-  
 piscopi extrema.*

*Ughel de Ar-* Inter hosce Scriptores alter est Claudius  
*chiep. Tauri-* Seyffelius Taurinensis Archiepiscopus,  
*nenf. t. 2.* juxta quosdam Aquis Gratianis, igno-  
*San Marth* bili Sabaudizæ oppido prope Cambrium,  
*Gall. Christ.* vel juxta alios Sesselii, exigua Beugesizæ  
*t. 2. p. 665.* urbe  
*8 669.*